

Dei, ut mensurata æternitate elevat terminum quem respicit ad suam mensuram. Et hoc ideo est, quia actio in quantum est via, et causalitas seu fieri ipsius effectus mensurat rem, seu terminum actionis eodem motu tendentiæ, et fluxus, quia non est aliud terminus ipse actionis, quam res ut in tendentiâ, et fieri. Actio autem Dei causat sine ullo motu, sed ut omnino immutabilis, licet producat rem subjectam motui, et in tempore. Unde actiones creatæ, quia sunt in via, et in tendentiâ, et in fluxu habent imperfectius esse, quam ipse terminus in facto esse, et ordinatur ad illum, ut ad aliquid perfectius, at vero actio divina est perfectioris esse, quam terminus ejus, unde non ordinatur ad terminum, sed potius ordinat terminum ad se, et elevat ad se. Et sic terminus, ut præcise conjunctus, et respectus ab ipsa actione, ut actio æterna est, elevatur ad mensuram talis actionis, quæ est æternitas; ut autem in se passive immutatur, et fit in tempore, sic fundat propriam mensuram creatam, de quo amplius sequenti articulo.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

X. Primo, arguitur ad probandum, quod non possunt coexistere æternitas, et tempus, quia repugnat hæc coexistentia tam ex parte ipsius Dei, quam ex parte temporalium durationum. Ex parte quidem Dei, quia abstrahit ab omni tempore, et motu, ergo non communicat cum modo essendi rei temporalis, ergo neque potest illam mensurare, nisi elevetur supra esse temporale, ergo manente re temporali in suo esse non potest coexistere æternitati, et mensurari ab ea propter improportionem unius cum alia, ergo nunquam

verificatur, quod æternitas est mensura rei creatæ, vel temporalis in proprio suo esse, sed extrahitur ab illo. Ex parte vero rerum temporalium constat ista repugnantia, quia res temporales constant præterito, præsentis, et futuro, ergo non possunt coexistere simul æternitati, quæ est indivisibilis, sicut instans temporis non potest coexistere partibus temporis. Nec potest dici, quod æternitas est indivisibilis formaliter, sed virtualiter est divisibilis, et non sicut instans, vel punctum, quod habet positionem in continuo. Nam contra est, quia ex hoc sequitur, quod æternitas non mensuratur formaliter, sed solum virtualiter, quia solum virtualiter est divisibilis, et coexistit rebus temporalibus, ergo loquendo de ipsa æternitate formaliter, et in se non coexistit rebus temporalibus, nec mensurat illas. Nec virtualis ista mensuratio potest intelligi, nisi vel se habeat per modum agentis, vel imprimantis aliquid in suum mensuratum, et hoc non est habere se per modum mensuræ, sed per modum agentis pertinetque ad attributum omnipotentis, non durationis.

XI. Confirmatur, quia æternitas, vel prius coexistit uni parti motus, et temporis, quam alteri, vel totam successionem temporis simul attingit, vel nec simul nec successive. Hoc tertium est intentum. Primum est contra rationem æternitatis, quæ non habet successionem in mensurando, sed est tota simul possessio rei mensuratæ. Secundum vero est contra rationem temporis, quod non potest simul coexistere secundum omnem successionem, et partes, ergo non potest totum simul attingi.

XII. Respondetur neque repugnare mensurationem istam ex parte Dei, neque ex parte rei temporalis. Ad probationem ex parte Dei res-

pondetur quod licet æternitas abstrahatur ab omni motu, et tempore, non tamen a continentia eminentiali, et superiori ipsius temporis, et sic habet se tamquam mensura inadæquata, et non homogœnea. Et quando additur, quod nunquam verificatur, quod esse creatum in se mensuratur ab æternitate, sed ut elevatur ad aliud esse, respondetur quod non est necesse elevari, et extrahi ab esse creato ex parte rei mensuratæ, et contentæ, sed ex parte modi mensurandi, et continendi, quia modo immutabili ab æternitate mensuratur illudmet esse, quod in propria mensura mutabile est: cui anima rationalis, ut coexistat partibus corporis non est necesse, quod extrahat illas e ratione corporis, sed quod illis communicet actualitatem vitæ, et animæ. Sic etiam æternitas continet res creatas non destruendo proprium esse illarum, sed superiori modo mensurando tamquam mensura inadæquata, et superior, quæ licet non habeat proportionem homogœneam, et immediatam, tamen habet proportionem primi mensurantis, et continentis omnes et derivatum ab ipsa æternitate quatenus mensurando Deum, et ejus actionem, etiam secundo mensurat terminum talis actionis: nec attingit creaturam solum, ut est intra Deum, sed ut attingitur ab actione Dei, quod solum verificatur de ente creato, ut creatum est, licet sub respectu actionis æternæ, non passionis, et immutationis temporalis.

XIII. Ad aliam partem argumenti de repugnantia ex parte rei creatæ, respondetur solutione ibi data, quæ est D. Thomæ, primo contra gent. c. LXVI, et ad replicam respondetur quod anima licet in se formaliter sit indivisibilis, eminenter tamen continet rem divisibilem, sicut anima rationalis continet corpus. Neque

hoc facit æternitas per modum causæ efficientis solum, aut imprimantis in mensuratum, sed quia mensurat ipsum primum efficientem, et rationem ejus, mediate quoque, et secundo mensurat terminum talis actionis æternæ, qui tamen in sua propria mensura temporaliter, et mutabiliter existit, modo tamen immutabili, et æterno a Dei actione respicitur, et continetur, ut sequenti articulo declarabitur.

XIV. Ad confirmationem respondetur quod æternitas non successive, sed simul ex parte sui mensurat omne tempus, ut sequenti articulo dicemus. Nec propterea æternitas est divisibilis, quia coexistit rei divisibili, quia non coexistit ei per modum adæquationis, sed per modum virtutis, et continentis eminentialis, sicut etiam anima indivisibiliter coexistit corpori, et Angelus loco.

XV. Secundo, arguitur pro secunda sententia, quia sicut se habet immensitas ad locum, ita æternitas ad tempus, sed immensitas non mensurat creaturas, nec constituit eas præsentis in aliquo loco proprio, vel alieno, sed supponit esse in suo loco, et sic tangit illas, ergo similiter æternitas non coexistit rebus mensurando illas, sed solum coexistit illis, quando sunt. Confirmatur, quia res creata non constituitur formaliter durans per æternitatem, ergo neque mensuratur realiter ab æternitate. Antecedens constat, quia nullum attributum divinum potest formaliter communicare suum effectum creaturæ, sicut non potest reddi creatura intelligens per intellectionem divinam, neque ista per justitiam divinam, ergo neque durans per durationem divinam. Consequentia vero patet, quia si non redditur durans per æternitatem, ergo antecedenter ad propriam durationem, et mensuram

non possunt subjici, et coexistere æternitati divinæ, et sic habebit se æternitas ad res temporales, sicut instans angelicum, quod etiam coexistit illis quando est, non tamen mensurat illas.

XVI. Respondetur esse disparem rationem inter immensitatem, et æternitatem. Primo quidem, quia immensitas non est mensura respectu rei creatæ, neque respectu Dei, quia immensitas non se habet ut locus, qui est mensura rei locatæ, sed se habet ut quantitas virtualis Dei, qua tangit ipsum locum, et res in eo locatas, sicut anima tangit corpus dando illi esse, licet anima formaliter, Deus autem effective. Deservit ergo immensitas ad habendum contactum cum rebus, in quocumque spatio ponantur; alia est autem ratio tangendi, alia mensurandi, nam etiam in ipsis mensuris quantitativis aliud est, quod ulna v. g. tangat aliud corpus contactu quantitativo, aliud quod mensuret reducendo ad uniformitatem, et regulationem aliam quantitatem, licet non sine contactu id fiat. Æternitas vero importat uniformitatem durationis ratione cujus regulare potest quidquid est minus uniforme in aliis regulationibus. Secundo, est differentia, quia immensitas comparatur ad res, quas tangit immutando illas, quia est contactus Dei ad res prout extra se, quas Deus non tangit, nisi dando illis proprium esse, quod non sit, nisi mutando illas de non esse ad esse, et constituendo illas in propria mensura. At vero æternitas comparatur ad durationes creatas tamquam aliquid simplicius, et uniformius in illo genere, et sic mensurat illas non immutando mensuratum, hoc enim non pertinet ad mensuram, sed ad suam uniformitatem reducendo, hoc enim modo fit omnis mensuratio, scilicet per reductionem mensurati ad mensuram

quatenus per illius uniformitatem, et simpliciozem durationem, seu quantitatem notificatur minus uniformis quantitas rei mensuratæ, unde potius æternitas reducit res mutabiles ad uniformem modum immutabilitatis, immensitas vero constituit illas in statu mutabilitatis, tangendo illas contactu immutativo, et activo in suo proprio esse, et mensura.

XVII. Ad confirmationem respondetur æternitatem non constituere res creatas formaliter in sua duratione, ut probat argumentum, sed potius durationes creatas continet mensurando non formaliter constituendo, ut enim formaliter redderet rem durantem non deberet supponere in illa durationem, et sic non mensuraret, et contineret durationem creatam tamquam inferiorem, sed primo constitueret illam. Et cum dicitur quod hoc modo non poterit æternitas mensurare res antecedenter ad propriam mensuram, et durationem, distingo, antecedenter ad propriam durationem, ut passive productam in propria mensura, et sub modo talis mensuræ concedo; antecedenter ad propriam durationem non sub modo propriæ mensuræ, sed sub modo alienæ mensuræ, ad cujus uniformitatem trahitur, et elevatur, nego. Aliud est enim mensurare durationem propriam et creatam, tamquam rem mensuratam, aliud sub quo modo illam mensuret, et in quo statu illam supponat, ut mensuret. Res quidem mensurata est duratio creata, quæ petit mensuram propriam, prout passive mutatur, et ponitur in suo esse, modus autem mensurandi est virtualis continentia æternitatis modo immutabili trahens ad se rationem illam creatam, quia non immediate mensurat illam, sed mensurando divinam actionem mensurat terminum ejus, non solum ut

passive in se ponitur extra causas, sed etiam prout continetur in actione sub præciso respectu actionis æternæ, quæ ab æterno respicit rem temporalem, et durationem creatam in propria mensura ponendo.

XVIII. Tertio, arguitur quia res ut subsunt propriæ mensuræ loquendo reduplicative coexistunt æternitati si quidem habent simultatem cum illa in existendo non minus quam cum aliis durationibus, et tamen sub illa reduplicatione propriæ mensuræ non mensurantur ab æternitate, quia modus propriæ mensuræ est modus successionis, et mutabilitatis, et ita sub illo modo non coexistunt ab æterno ipsi æternitati, alias incæpissent esse in propria mensura ab æterno, quod est contra fidem, modus autem mensurandi æternitatis est omnino immutabilis, ergo prout mensurantur propria mensura, non mensurantur æternitate. Et potest confirmari argumentis factis in præcedenti articulo ad probandum æternitatem non esse mensuram Dei, qui formaliter caret quantitate, et non est notificativa durationis divinæ. Similiter etiam æternitas non notificat nobis durationes creatas, neque habet quantitatem respectu illarum, sed modo indivisibili se habet, et potius est indifferens ad istam, vel illam durationem creatam (utpote inadæquate se habens ad omnes) quam ut determinans tales durationes; sicut requiritur ad rationem mensuræ.

XIX. Respondetur quod res in propria mensura non coexistunt æternitati, nisi ut subjectæ illi, et mensuratæ ab illa. Et ita licet modus mensurandi proprius, et creatus, ut est ratio mensurandi mutabili modo res mensuret, et opposito modo ad æternitatem, tamen non repugnat, quod ista propria mensura non ut ratio mensurandi, sed ut res mensurata subsit modo immutabili men-

surandi æternitatis. Et ita cum dicitur, quod res ut in propria mensura reduplicative non coexistunt æternitati ab æterno, coexistunt autem in tempore distinguendum est, si ly prout in propria mensura reduplicative reduplicet propriam mensuram, ut rem contentam negatur quod ab æterno non coexistat æternitati, aut quod incipiat coexistere in tempore. Si autem ly in propria mensura reduplicet modum, et rationem mensurandi, sic verum est, quod sub illo modo propriæ mensuræ qui mutabilitatem importat, neque coexistit æternitati, neque mensuratur ab illa, sed sub altiori ratione et modo mensurandi, et sic prout in æternitate non mensurantur res propria mensura, sed mensura, qua mensuratur actio Dei æterna, cujus terminus sunt, licet ipsa mensura propria, res quædam mensurata sub æternitate continueatur.

XX. Ad confirmationem autem jam responsum est præcedenti articulo, quod habet æternitas quantitatem virtualem, et quod est notificativa aliarum durationum, tamquam aliquid magis uniforme in durando, sed quia est mensura excedens alterius ordinis non hoc notificat nostro modo imperfecto cognoscendi, sed modo perfecto cognitionis qualis est in illo, qui videt ipsam æternitatem, sicut etiam essentia divina altiori, et perfectiori modo manifestat creaturas non confuse, sed distincte videnti, et penetranti ipsam divinam essentiam.

XXI. Ultimo, argui potest pro tertia sententia ad probandum res non mensurari ab æternitate divina, antequam res existant in propria mensura, vel quia ipsæ creaturæ sunt incapaces mensurari, et coexistere alteri durationi antequam sint in se, vel quia æternitas non extrahit res a proprio esse ad esse

divinum, sed potius est id a quo participatur, duratio, et esse creatum, et sic continet illas, tamquam causa tribuens illis esse non ut intra se continens, et sic mensurans, sicut immensitas tangit res creatas, et anima corpus, quod continet. Sed de hoc agendum est sequenti articulo.

XXII. Ex dictis colligitur quod res non sunt in æternitate immediate ratione sui, aut per aliquam elevationem passivam, qua a proprio esse eleventur ad aliud esse, et durationem elevationem, sed mensurantur mediate, quatenus æternitas mensurando actionem divinam, consequenter mensurat terminum, quem respicit, ut stat sub respectu actionis, et non respectu passionis, qua immutatur in se res creata, et subjicitur mensuræ mutabili, quæ est propria mensura, non elevatur autem per impressionem aliquam positam in ipsa re, qua a propria mensura trahatur ad æternitatem. De immensitate autem jam diximus non pertinere ad ipsam mensurare res locatas, sed immutare suo contactu, et sic aliquid illis imprimere. Et similiter anima immutat corpus informando ipsum, et movendo: æternitas autem non imprimit, aut immutat aliquid in durationes creatas, sed mensurando actionem, mensurat etiam terminos, quos producit in tempore, et respicit ab æterno modo etiam mensurationis æternæ.

### ARTICULUS III.

*Utrum res physicæ contineantur, et mensurentur ab æternitate, etiam antequam sint in se?*

I. Quod mensurari debeant res ab æternitate in suo esse reali, et physico, et non solum in esse cognito, vel in esse possibili, constat ex dic-

tis præcedenti articulo et ex suppositione, quod æternitas est mensura realis quantum ad durationem. Unde si mensurat, utique ipsas reales, et physicas durationes mensurare debet non durationes ut cognitæ, vel ut possibles, sic enim mensurari non possunt per durationem realem. Ergo difficultas est ex parte ipsius æternitatis, quomodo mensuret immutabili modo, ita ut sit tota simul in mensurando, nisi etiam res ipsas mutabiles, et successivas amplectatur immutabiliter, et consequenter etiam antequam sint, vel etiam postquam transierint in se. Ex parte autem rei mensuratæ est valde difficile intelligere, quomodo res antequam sit vere, et proprie extra causas possit physice mensurari, et coexistere durationi, quæ est æternitas cum nondum in se sit producta, sed solum detur decretum liberum de rerum productione, quod nihil ponit in rebus, nisi denominationem extrinsecam antequam exequatur productio. Quomodo ergo res possibles non mensurantur æternitate, et sola voluntate divina sine ulla productione ad extra redduntur physice mensuratæ. Hoc est ergo maximum, et obscurissimum mysterium hujus attributi, et in quo humanus intellectus omnino caligat, scilicet ex una parte ponere modum summe immutabilem in mensurando, ita quod non incipiat, et desinat mensurare, nec per multiplicationem, et replicationem mensuret, sicut mensuræ creatæ, et mutabiles, sed per summam indivisibilitatem, et ex alia parte ponere quod res mensurata ante suum esse mutabile, et successivum coexistat æternitati.

II. Circa hæc ergo duplex orta est sententia, altera omnium fere Thomistarum, et ut ostendemus etiam ex D. Thoma, qui constanter affirmant res omnes creatas esse præ-

sententes realiter ipsi æternitati, ita indivisibiliter, quod toti æternitati coexistent, et licet inter se secundum proprias mensuras simul non sint, ratione tamen mensuræ superioris, quæ est æternitas simul esse in ipsa, ita quod cum ad coexistentiam duorum indispensabiliter requiratur utriusque existentia dicitur tempus coexistere æternitati, non in se ipso, sed in ipsa æternitate, ratione cujus realiter ei coexistit, non solum in cognitione, et per modum objecti, sed etiam in duratione. Alia sententia est Scoti in 1, dist. xxxix; Durandi. xxxviii, q. iii; Aureoli ibidem art. 1, et aliorum recentiorum, præsertim ex societate, quos uno spiritu adductos huic sententiæ subscribere nullo dempto affirmat pater Alarcon in tractatu II de scientia Dei, disp. II, cap. VIII, num. IX, qui similiter affirmat primam hanc sententiam invenisse Cajetanum I p. q. XIV, art. III. Cæterum in utroque valde deceptus est iste auctor. Nam quod attinet ad Cajetanum quod non fuerit primus auctor hujus sententiæ ipsemet Molina respondet I part. quæst. XIV, artic. XIII, disput. XIII, ubi inquit: « Miror Cajetanum hoc loco sibi ut primo inventori tribuere rationem hanc defendendi doctrinam D. Thomæ cum ante eodem modo eam defenderit Capreolus eademque inquant Richardus quodlibet. III, q. I, et alii Cajetano antiquiores. » Ubi non fuit contentus Molina dicere hanc sententiam docuisse Capreolum et antiquiores, sed eodem modo, atque Cajetanus, falsum est etiam omnes doctores societatis hanc sententiam docuisse, nam expresse sententiam Cajetani, Capreoli et Ferrariensis docent Molina loco citato, Granados I p. tract. IV, disp. III, sect. II, Fonseca VI met. c. II, q. IV, sect. II, et alii etiam, quos citat idemmet Alarcon, et in suam sen-

tentiam conatur explicare, licet illis stomachetur, quia cum nihil magis horreant quam hanc præsentiam realem rerum in æternitate, in modo tamen loquendi cum Cajetano conveniunt. Cæterum Molina expresse distinguit de esse existentiae rerum, quæ in tempore fiunt, et de esse objectivo, et cognito, et dicit: « Rejiciendi sunt Silvester in confato, Hervæus in I, dist. xxxviii, atque Hispalensis eadem distinctione q. I, qui contendunt D. Thomam non esse intelligendum de esse existentiae, quod res, quæ in tempore fiunt successive, ex æternitate habeant in æternitate, sed de esse objectivo, et cognito qui cognoscantur quoad illud idem esse existentiae, quod decursu temporis habebunt. » Et tamen Alarcon maxime utitur illis auctoribus Silvestro, Hervæo, et Hispanense ad probandum non esse ex mente D. Thomæ res existere in æternitate secundum esse existentiae, sed secundum esse objectivum, et cognitum. Videndus est Molina in loco citato præsertim in solutionibus argumentorum. Ubi ita clare docet hanc sententiam Cajetanus quod nullam potest admittere explicationem. Neque enim ejus sensus est, quod res postquam actu sunt in sua duratione temporali, sint præsentis æternitati, absolute, et adæquate, et quia æternitas est indivisibilis toti æternitati sint præsentis, antequam vero sint actu in sua duratione esse futuras respectu æternitatis, licet objective præsentis divinæ menti, ut auctor ille conatur Molinam explicare, ductus ex eo quod Molina disput. XIV, sequenti conclusione. II, videtur ponere, quod res futuræ non existunt reali præsentia in æternitate antequam sint in se. Cæterum Molina satis se explicat, quod non debeat dici res existere in æternitate per anticipatam præsentiam, seu distinctam productionem in